

1. *Onobrychis* 2 *Clusii* est rarissima planta, a me nunquam visa. Affinis *Astragalo* alpino, sed floribus quadruplo minoribus et foliolis linearibus emarginatis ab alpino foliolis ellipticis diversa. Fructus idem cum *Astr.* alpino. vera *Astragali* species.

2. *Aspalathi* species. est nisi me omnia fallant *Genista* hispanica sp. plant. quam montis ventosi dixere, quamvis Tua glabra sit, ex loco forte culto, spontanea raris villis pilosa.

In tomo 3^{to} systematis addam omnia supplementi loco (postquam absolvi lapides) quae ab edito primo tomo observavi, i. e. 200 animalia, et 100 circiter plantas. Animalia a Te descripta si velis potes addere sub Tuo nomine corollarii loco, et plantarum species, modo facias adeo compendiose, ut liber non evadat major reliquis.

Nullus dubito quin infinite multa lateant in America de animalibus. utinam ibi fuisset unico anno, sed sero sapiunt Phryges. interim laetor de plantis. Ex Brownii selectioribus et Tuis observationibus brevi ita in Americanis erimus versati, ut et in his sua constabit veritas. Tu qui serius accessisti poteris et debes longe attentius examinare, quam qui prior fuerit. Post Te veniet alius, qui examinabit minutissima, Gramina, Muscos etc. et videbit quod nullus antecessorum.

Doleo quod a Te missa semina non accessere, et imense doleo! quaeso cum quo missa fuere?

Lippiae semina accepi in literis, sed non germinarunt.

Catalogum amplissimum seminum misisti, at nulla semina praeter unum alterumve in litteris.

Exspecto avide novam floram vestratem.

Hippomarathri flores laetor me videre potuisse. ex toto habitu est *Seseli*, quamvis foliola involucri partialis confluant.

Harpagam Tuam quaeso mihi describas, ut et ejus mores, cum adeo familiarem habuisti.